Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Programma

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

PROGRAMMA.

L. S.

IN mentis humanæ originem nunquàm non anxiè fuit inquiſitum ab iis, qui Sapientiæ ſtudio incubuerunt, diſceſſumque ho· ſuper nagatio eſt in varias opiniones. Et qui fieri aliter potuit? Cùm enim res corporeæ & viſui obviæ cogitationes noſtras frequentiſſimè eludant & ſuſpenſas teneant, quid mirum, ſi in contemplatione rei ſpiritualis, & à ſenſuum commercio remotiſſimæ, hallucinemur & in diverſa abripiamur? Quæ ex Veteribus nonnulli ſomniarunt, jamdudum exoleverunt, communique eruditorum ſuffragio è ſcholis ſunt exploſa. Duæ utique ſunt ſententiæ, quæ irroborarunt inveteraveruntq́; & argumentorum, quibus nituntur, vel firmitate vel ſpecie aſſenſum extorſerunt non Philoſophis modò, ſed & iis, qui cœleſtem & in Sacris literis patefactam profitentur doctrinam. Earum altera adhuc hodieque animas creari, & divinitùs in corpora infundi ſtatuit; altera per generationem eas uniri aſſerit; quamvis hanc ipſam qui amplectuntur, in contraria abeant. Nonnulli enim de potentia materiæ eas educi arbitrantur, alii ab alterius vel utriusque etiam parentis anima accendi, & in corpora traduci cenſent.

Hinc atque hinc altæ rupes geminique minantur
In cœlum ſcopuli!

Et

Et utramvis amplectaris ſententiam, diverſam perdifficilem, & tantùm non ἀκαθαίρετον deprehendes. Ego cùm de laudabili Academiæ hujus inſtituto & conſuetudine prius, quàm publicum docendi munus aggrediar, de materia aliqua, vel vitæ rationem concernente, vel ad contemplationis ἀκριβείας pertinente, verba facere tenear, de hac ipſa controverſia, quæ ortum animi noſtri inveſtigat, dicam, utra ex duabus illis ſententiis probabilior mihi & à vero minus averſa videatur, aperiam, ſolida & inconcuſſa rationum momenta pro ea adducam, & quomodo difficultates, quibus premitur, amoveri poſſe exiſtimem, oſtendam; & hæc omnia ſolius veritatis amore, procul habito omni partium ſtudio. Magnificum Dn. RECTOREM, Illuſtrem & generoſiſſimum Dominum, Dn. HENRICUM PETRUM, Comitem à Guttenſtein/ *Dominum meum clementem, omnesque Academiæ hujus proceres, ut & florentiſſimum Studioſorum ordinem, devotè, officioſè, amanter oro rogóq́, ut ſepoſitis aliquantiſper ſuis negotiis proximi Veneris diei horâ nonâ in Auditerio majori recitationi adeſſe, meæque Oratiunculæ, quibus ipſa per ſe deſtituitur, ſplendorem & gratiam aſpergere ne dedignentur. Ad Calend. Decembr. horâ tertia, quod DEUS felix & auſpicatum eſſe jubeat, lectiones publicas exordiar, propoſiturus primæ Philoſophiæ, quam Metaphyſicam appellant, Inſtitutiones ſive rudimenta. Quas voces cum uſurpo, brevitati & eviden-*

evidentiæ me alligo, & ſignifico, ea quæ diffusè & prolixè ab aliis dicta ſunt, in pauca me collaturum, quæ obſcura & tenebris obvoluta, luce & perſpicuitate donaturum. Quin nec iſta tantum iis, quibus auſcultationes has obire placuerit, offero & promitto, ſed

quicquid in arte meâ poſſum promittere curæ.

P. P. JENÆ

XXIII. Novemb. Anno M. DC. XXIII.

II.

ORATIO
DE
MENDACIO,
An poſſit eſſe licitum?

Habita Anno M. DC. XXXI. cum Rectoratum Academicum publicè accederet.

SI fata meo mihi fingere arbitrio, vitæq; momento ex ſententiâ conformare licuiſſet, non jam in tàm, auguſto conſiſterem loco, ſceptra Academica manibus hiſce non accepiſſem, nec epomide hâc indutus in tot Magnorum & Ampliſſimorum Virorum, in tàm Nobilis & Splendidæ Juventutis conſpectu verba facerem. Ut enim omnem per ætatem honeſtam quietem ambitioni & ſtrepitui publicorum negotio-

rum